



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Georgius Martyr. 23. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

potium inaufandum, ut æger ea non refugiat. *Vñ*
fratrem corrigere, illachrimare, ora Deum, apprehensum
admone, consule, exhortare, monstra charitatem erga
proximum. Chrylost.

S. GEORGIUS Martyr.

23. Aprilis.

Certa bonum certamen & appre-
bende vitam eternam. ad Timoth. c. 6.

ANno post natum Servatorem XC. supra
 ACC. GEORGIUS fortissimus CHRISTI
 miles ob virtutem inter Tribunos adlectus,
 tum Comitis etiam titulo à Diocletiano or-
 natus, cùm hujus nihilominus efferam in
 Christianos tyrannidem propalam damna-
 set; in vincula & ipse tractus, saxum primò
 ingens pectori injectum supinus fortiùs,
 quàm cœlum Hercules tulit; ad machinam
 deinde mucronibus omni ex parte arma-
 tam, ut antè ad gladios in acie, risit. Hinc
 calce tres dies sepultus, cùm illustrior sur-
 rexisset, ferreos & ab igne candentes cal-
 ceos indutus, nempè ad Olympiam coro-
 nam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac
 alapis contusus, in ruborem languoremque
 ipsos

iplos carnifices dedit, & testem fidei suæ
mortuum è tumulo produxit. Tandem post
tot egregiè pugnatas pugnas, coronatum
pridie in carcere ab ipsomet Imperatore
Christo caput, iterum coronandum securi
subdidit; cum prius ad ejus impetium cor-
ruissent omnia Numinum simulacra, &
cacodæmones se esse, non Deos ultrò edi-
xissent, verissimo omnium, quod unquam
dederunt, oraculo. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O

De perfecto Christi Milite.

1. **S** GEORGIUS, ut perfectus miles, Christo pri-
mum fidelis fuit, nec unquam defecit à Chri-
sto, tamen Imperator, ut ejus fidem labefactaret,
adhibuerit blanditias, minas, tormenta. Tu verò
quâ fide & quâ constantiâ blanditiis, minis, deli-
ciis, ac doloribus resistis? Heu! si tentaretur fides
tua divitiarum ac honorum jactura, num citius fi-
dem quam hæc terrena bona relinqueres? Prospe-
ritas unius diei efficit, ut Dei obliviscaris. Quomodo
ferres Tyrannorum tormenta tu, qui amicorum jo-
cos pati nequis? *Qui torvum vultum ferre non potes,
quomodo sustineres tribunalia persecutorum?* Hieron.
2. Ut fidelis, sic etiam fortis ac generosus fuit
S. GEORGIUS, nam ut tueretur partes Jesu Christi,
erecto & alacri animo atrocissima passus est supplicia.

Tua

Tua verò virtus levissimâ difficultatē frangitur ac debilitatur. Tam acri studio consilia ac negotia tua ad exitum perducis: An tibi majus esse debet aut consilium, aut negotium consilio & negotio salutis?

3. Ad ultimum S. GEORGII in fide ac constantia perseveravit. Perseverantia coronam capiti tuo impositura est: excidant ē memoriā tuā bona opera, quæ olim fecisti, respice faciendā, respice coronam, quæ tibi parata est, respice Deum certaminis tui spectatorem, Hæc si attenderis, facilius certē ad mortem usque aliquid patieris. *Quis sanctorum sine tribulatione coronatus est? Quare, & invenies singulos adversa perpeffos.* Hieron.

S. BONA Virgo.

24. Aprilis.

Bonus es tu; Et in bonitate tua doces me justitiam tuam.

118. Psal. 68. v.

AGē Virgo animo. Hæ tibi leges feruntur: Lecto pudico cubato, Vestis cilicium esto, Ut latrones domesticos effugias, pudorem peregrè ad Divūm templa circumfero. Nempè, duras, ais, & verè arcas leges fixisti. Quid vis dicam? Tu non potes quod isti & istæ? addo quod Virguncula BONA potuit, cui vix septe ni has leges ipse sum-

mus